

lofophum quendam adulescentulo cuidam quem presentem occultabat causa silentii tali uoce profatum; adulescens loquere ut sciamus te; ostendere uolens. ex sermonibus probari hominem et tamdiu unumquemq. quamdiu in silentio fuerit ignorari. Postquam dein ostendisset, Salomonem multo ante idem sensisse et dixisse, pergit: *Huius igitur definitionis ueritatem ego iam retro quidem credens nunc me tamen probasse confiteor qui honorificentiam tuam diu ignoratam habui. Sed postquam te licet parum loquentem audiui. Inuisibilis mihi somnus (certe sonus) prodidit. quem uisibilis diu corporis uultus absconderat. quamquam et cultor tuus sanctus martyrius olim paruitati meae religionis tuae pre-conia dixerit. sed difficile humana natura ita alteri credit ut sibi; ergo quoniam quod aliquamdiu audieram per me ipse cognoui. illius te esse christianitatis atque prudentiae. ut ueritatis rationem non aspernanter accipias; Nolo te errare cum ceteris. qui ex hoc arbitrantur se inpune peccare. qui (quia) ignorantiam habeant diuine uoluntatis &c. Contra hanc deinceps ignorantiam solide disputatur, aliaque hominis Christiani officia commendantur, maxime illud: *Quaecumq. uobis fieri non uultis. alio ne feceritis.* Clauditur: *Hec interim honorificentiae tuae ut epistole breuitas passa est credidi scribenda. Cupiens sanctitati tuae presens loqui et de quibuscumque fueris consulere dignatus. te reddere certiore. Opto**

*te semper deo uiuere. et perpetui consolatus bonore gaudere.* Hominem Deo dicatum, puta Episcopum, ad Virum in dignitate profana constitutum scribere, extra dubium est; verum excussis non obiter usque ad *Sec. VI.* medium, quod vix excedit Autor, *Ἐπιστολογραφοῖς*, nil certi reperi, nisi quod *Martyrium* in *Epistolis Symmachi* bis nominari video. At plures hoc nomine fuere. Itaque oculatiori lampada trado.

## DLVIII.

Codex membraneus lat. Sec. 726 XIII. Folior. 158. 4. luculente exaratus, rubricisque distinctus continet: I. *Hugonis a S. Victore Can. Reg. Paris.* anno 1140. uivis exempti Opus, quod hic inscribitur: *Hugo de archa noe pro archa sapientiae cum archa ecclesiae et archa matris gratiae*, constatque V. *Libris*, ut videre est in *Edit. Opp. Rothomag. T. II. 1648.* a p. 286. a qua tamen notandae sunt praesentis *Cod.* discrepantiae. *Liber de Arca Noe*, qui in *Edit.* ceteris IV. praeponitur, in *Codice V.* est et ultimus. *Codex* igitur a L. II. ita auspiciatur: *Cum sederem aliquando in conuentu fratrum &c. Ex huius Libri Cap. 2. adscribam, quae Titulum Operi supra praefixum illustrant: Prima (Arca) est quam fecit noe. securibus et dolabris. ex materia lignorum et bitumine. Secunda est quam fecit christus per predicatorum suos. ex collectione populorum. in una fidei confessione.*

2125

A S C E T I C I

2126

ne. *Tercia est quam cotidie sapientia edificat in cordibus nostris ex iugi legis dei meditatione. Quarta est quam mater gratia operatur in nobis &c.* Non itaque Hugo supra per *ro archa matris gratie B.* Virginem innuit, ut primo intuitu credi posset. Reliquorum *Libb.* initia et fines cum Edit. concordant; ast in fine L. IV. post verba: *in contemplatione ueritatis* addit Codex: *Breuius dicturus eram sed fateor uobis multa me delectat loqui. et erat adhuc fortassis quod dicerem. si uestrum fastidium non timerem. Nunc igitur ipsius archę nostrę exemplar proponamus sicut proposuimus quod exterius depingimus. ut foris discas quid intus agere debeas. ut cum huius exemplaris formam in corde tuo expresseris. domum dei in te edificatam esse leteris.* Quam particulam si in Exemplis suis praesto habuissent Editores *Rothomag.* vix *Librum de Arca Noe* primum posuissent, sed lo-

co postremo, ut est in *Nostro*, reliquissent. Cetera hic quoque Liber cum Edit. conspirat.

II. fol. 136. p. 2. *ἀδελποῦ* succedunt ejusdem *Hugonis Praenotationes Elucidatoriae de Scripturis et Scriptoribus sacris*; sed tantum a *Cap. 4.* usque ad finem. Initium est: *Diligens scrutator sacri eloquii rerum significationes nequaquam negligere debet &c.* Extant Edit. *supracit.* T. I. p. 1. Verum multo uberius in *Codice*; nam et integra inserta est *de Ponderibus et Mensuris* tractatio, et *Chronologia* tam sacra quam profana copiosius multo digesta, ut adeo *Hugonem Victorinum* olim curatius, quam factum est, edituris non parum opis in his membranis repositum sit. Alia Ejus indicavimus ut *Index* docet. Principio et Fini Codicis coeva manu adscripti sunt *Hymni II.* de *B. V. Maria*, quorum prior incipit:

*Aula Maria dei benedicta super mulieres;  
Celo scala uebens. Dos uitę. luminis heres &c.*

Alter:

*Si caput istorum conuectas uersiculorum.  
Verba salutantis matrem legis inde tonantis.  
Celitus emissi. subiuncto nomine Christi.*

Atque ita collectis initiorum literis conficitur *Ave Maria Versus.*

Alteri praeterea Codici praetextae Membranae adscripti sunt

*Versus ex Arte Poetica Horatii*, aliisque ejus *Epistolis*, nescio quo consilio, decerpti, unde sequentes lectiones notare visum:

M m m 3

Cur

*Cur ego, si nequeo aut ignoro, Poeta salutor.  
Romani pedites tollent equitesque cacbinnum.  
Difficile est proprie communia dicere quaeque.  
Nec deus intererit, dignus nisi vindice nodus. &c.*

## DLIX.

526 Codex membranaceus lat. Sec. XIII. Folior. 161. 4. nitide exaratus, rubricisque distinctus continet: I. *Richardi* Scoti Canonici Reg. S. *Victoris Parisini* anno 1173. vivis exenti Opus mysticum, quod in *Indiculo* praevio adpellatur *de Benedictionibus Patriarcharum*, alias *Benjamin minor*, five *de Praeparatione Animi ad Contemplationem*. Legitur illud in Edit. *Opp. Richardi*, *Colon.* 1621. 4. p. 178. alia *Capitulum* divisione, quam quidem in *Codice*. Initium ejus est: *Benjamin adolescentulus in mentis excessu. Audiant adolescentuli sermonem de adolescente! evigilent ad uocem prophetae &c.* Textus correctus cum *Impressis* pulcre conspirat. Ultima egregii *Tractatus* sunt: *diuine reuelationi humana ratio applaudit.*

II. fol. 64. sequuntur quaedam *D. Caecil. Cypriani* Opera praemisso *Hieronimi* testimonio e *Lib. de Viris illustrib.* et aliis, quibus *Cypriani* meminit. Et primo quidem absque inscriptione *Liber de Gratia Dei ad Donatum*, qui incipit: *Bene ammones donate karissime. nam et promississe me memini &c.* Contentus cum edit. *Baluziomauro. Venet.* 1728. f. lectiones quasdam offert doctis illis *Viris* non observatas. Ita

sub principium: *et lenes aures blandientis autumnii pro ad lenes auras. Mox: petamus hanc sedem, dent secessum pro dant secessum. Dein: calamos pro arundines &c.*

III. fol. 71. *Incipit liber de habitu virginis.* sed manu coeva impositum *um* i. e. *virginum*. Initium: *Disciplina custos spei. retinaculum fidei &c.* Editio *cit. col.* 353. paullo post medium legit: *quid magis velle ac tenere nos convenit &c.* *Noster* vero: *quid magis velle teneros convenit;* quod praefero. Sequitur enim: *quam ut radicibus fortius fixis &c.*

IV. fol. 81. *Incipit liber de lapsis.* Initium: *Pax ecce dilectissimi fratres ecclesiae reddita est &c.* Nihil inobservatum Editoribus.

V. fol. 95. *Incipit liber de catholice ecclesiae unitate.* Initium: *Cum moneat dominus et dicat. uos estis sal terrae &c.* Mox sub initium malo: *animus ante praestituitur*, quam *praestruitur*, et deinceps: *vestigii Christi uincentis quam viventis.*

V. fol. 106. *Incipit liber de dominica oratione.* Initium: *Euangelica praecipua fratres dilectissimi nichil sunt aliud &c.* Inter lectiones varias Editio *cit. col.* 415. non adnotat nostram: *deum de suo ore rogare*, quae non improbabilis, cum sermo sit de *Oratione*, quam *Christus* docuit. Ipsa omittit